

Christi et imperii fidelium innotescere dignum duximus, quod in curia Roncalie cum restitutione regalium nostrorum de singulis civitatibus et cunctis principibus Lombardie de iure recepissemus. Inter cetera etiam Modociam spitialem sedem nostram, que caput Lombardie et sedes regni illius esse dignoscitur, in qua etiam nostri antecessores de iure regni coronari consueverant, cum burgo et prato et omni districtu et pensitationibus et cum omnibus possessionibus ac pertinentiis suis, insuper cum omni familia intus et foris ex legali sententia iudicum Lombardie cum omni integritate recuperavimus. Hunc itaque predictum locum nostre tantum iurisdictioni et soli nostre potestati ita spitialiter et proprie vendicavimus, quod^c in corde nostro inconvulsibiliter fixum tenemus prefatam sedem nostram regalem per feudum aliquod numquam velle inbeneficiare neque nostris temporibus aliquo modo ab imperio alienare, quia hoc esset caput de membris separare. Eapropter preceptali edicto statuimus et nostra imperiali censura iubemus, quatenus idem locus Modoetiensis, qui iure proprietario proprius noster est, tam in ipso quam in omni continentia sua intra et extra omnes quoque homines utriusque sexus et cuiuslibet conditionis cum omnibus possessionibus suis et ceteris rebus mobilibus et immobilibus perpetua in eternum libertate et pace fruantur, ita ut de cetero nullus archiepiscopus, nulla civitas, nulla potestas, nulla persona sechularis vel ecclesiastica, nullus consul, nullus rector fodrum aliquod vel districtum vel aliquam exactionem nec pedagium vel currariam vel rippaticum vel pontaticum vel tholoneum nec aliquod genus servitutis vel malle acceptionis, quod vulgò malle et toltum dicitur, de predicti loci hominibus nisi solus imperator vel eius successores, reges et imperatores, aliquo modo exigere presumant. Et ubique [in]^d imperio nostra procura negotiandi vel de rebus suis ordinandi aliquid agere habuerint, sechurum exitum et liberum transitum ac pacificum reditum semper habeant eorumque persone et res universe libere, salve et integre^e ita permaneant, ut pre excessibus et offensa Mediolanensium vel aliorum vicinorum nullum dampnum vel gravamen ab aliqua civitate vel loco vel persona sustineant, tamquam liberi homines nostri ad coronam et cameram nostram spetiali privilegio pertinentes. Quicumque autem huius nostri privilegii violator extiterit et esse presumpserit,

c ?

d in *ergänzt*e *verblaßt*